



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

R. P. Leonardi Lessii E Societate Iesv Theologi Opusculum Asceticum Posthumum

Lessius, Leonardus

Lovanii, 1643

Lectori Salvtem.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-46564](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-46564)

LECTORI SALVTEM.

Pie, & Erudite Lector.



TE, scilicet, qui hoc nomine gaudes, precipue concernit pijsimi atque eruditissimi parentis Posthumus hic factus, pietatis iuxta, ac eruditionis plenissimus. Quidquid hic habes, LESSIANVM est: hoc est, Theologi subtilissimi, atque Asceta studiosissimi partus minimè degener; qui virisque his lineamentis, pietatis dico, & eruditionis, Auctoris sui genuinam faciem ad vivum refert. Religioni fuit, alieni quippiam attexere. Hoc duntaxat actum, ut quæ per varia volumina sua LESSIVS sparserat, ne vlla pars hoc celestis sapientie

sapientia sale condita non esset,
in unum coacta corpus, utilitati
tue seruirent, atque in promptu
esset Enchiridion, quo sopitos pie-
tatis sensus suscitare, feruentes
adhuc ac vegetos fouere atque
nutrire, imo & nouis identidem
incrementis augere posses. De
Quinquaginta Nominibus
Dei Opusculo (quod morienti
seni delicias fuisse atque solaria,
alibi monitus es) re penitus illi-
bata, alium ordinem eo consilio
dedimus, ut suis quibuscumque
Considerationibus subtextæ pre-
cationes aptè quadrarent; qua-
rum vim atque efficaciam usus
ipse magis, quàm longa elogia,
commendabit. Fructum res tota
spectat; ostentationis aut pompæ
habet nihil. Philosophus es! Chri-
stianus ut sis, hic libellus dabit.
Theologus es! ut non solum in-
tellectus

Intellectu sis, sed & affectu, docebit.
Sacro-sancta Divinitatis adyta
subtiliter speculando ingrederis?
Ut non profanè, sed simul castè
amando, reuerenter venereris,
viam pandet: donec cum beatis
mentibus perfectissima Theologia
dotatus, non iam in enigmate,
sed facie ad faciem, increatam
lucem irretorto obtutu iugiter
contempleris: quod vi assequare,
atque hic Tibi libellus gradum
aliquem praestet, Christianæ cari-
tatis affectu, medullitus vouemus.

PARÆ